Digitized by Google

8° Z 126 B.S.

ALPHABETUM BARMANUM SEU BOMANUM REGNI AVAE FINITIMARUMQUE REGIONUM

ROMAE MDCCLXXVI.
Typis Sacrae Congreg. de Propaganda Fide

PRAESIDUM ADPROBATIONE.

Google

BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

PIO VI. P. O. M

RELIGIONIS . ET . FIDEI . VINDICI

ECCLESIASTICAE . DISCIPLINAE . ADSERTORI

CVIVS . AVCTORITATE . ET . AVSPICIIS

CHRISTIANA . DOGMATA . IN . REMOTIS . REGIONIBVS

ANNVNCIANTVR

ALPHABETVM . BARMANVM . SEV . BOMANVM

REGNI . AVENSIS

QVOD . NVNC . PRIMVM

TYPIS . SAC. CONG. DE . PROP. FIDE

INCISVM . PERCVSSVM . CONFLATVM

ET . EXCVSVM . EST

ET . CVIVS . SONO . ET . LITTERIS

INDICIS . GENTIBVS . TRANS . GANGEM

CATHOLICAE . VERITATES . TRADVNTVR

MINISTERIO . CLERICORVM . REG. S. PAVLLI

STEPHANVS . BORGIA

A . SECRETIS . SS. CONGREGATIONIS

OB . INSIGNEM . ERGA . SE . VOLVNTATIS

ET . INDVLGENTIAE . EIVS . EFFECTVM

BEATISSIMO . ET . CLEMENTISSIMO . PRINCIPI

LIBENS . MERITO . OBFERT

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI
ERUDITO

IOHANNES CHRISTOPHORUS AMADUTIUS

Praeſes Typographiae Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

I. *DIvina illa idiomatum chariſmata, quibus peculiari, ac caeleſti prorſus largitate, ac privilegio donati fuerunt Apoſtoli, ut cunctis gentibus linguarum numero diverſis Evangelicas veritates praedicarent, adumbrare, aemulari, vel potius compenſare nititur Sacra Propagandae Fidei Congregatio, dum varia exoticarum linguarum genera conſectatur, quae ſuis typis exprimat, quaeque Fidei Praeconibus, quos ſuis ſumptibus in longinquas regiones ablegat, tamquam inſtrumenta praeſentiſſima, quibus inſtruantur, & commendentur, comparet, atque proponat. Poſtquam poſtremis hiſce temporibus de Indicis linguis potiſſimum ſollicita Tibetanae, ſeu Tangutanae, Brammhanicae, ſeu Indoſtanicae, & Malabaricae, ſeu Samſcrudonicae, quibus nos pro viribus iam praefari ſtuduimus, Alphabeta, typographicis omnibus formis inſtructa, perficienda curavit, & aliquot etiam Chriſtianae Fidei rudimenta iiſ-*

dem expreſſa edere ſategit, animum tandem Barmano, ſeu Bomano idiomati applicuit. Commode eiuſdem idiomatis apices, & elementa accurate deſignata ad nos attulit elapſo anno ex Peguenſi Miſſione redux Melchior Carpanius Laudenſis, ex Clericis Regularibus Sancti Paulli, qui Barnabitae appellantur, quibuſque nimirum Fidei noſtrae propagatio in vaſtiſſimo Avae Regno, & ſacrorum operatio in XIII. Eccleſiis per hoc ipſum Regnum diſperſis concredita eſt. Cum enim ipſe incoleret potiſſimum Urbem, quae Rangon *audit, quaeque portum ad Peguenſe Regnum pertinentem parat, & Avae apud Regem ipſum, & in Tavai regionibus, quibus erudiendis uſque ab anno* CIƆIƆCCLXIV. *addictus fuerat, moras traxerit, facile eidem fuit & exactas characterum formas, & ipſius idiomatis peritiam conſequi, quorum omnium ope huius Alphabeti ſculptura, percuſſio, & conflatio recte per operas noſtras flaturariam artem exercentes perageretur, atque prelo committi poſſent tum huius linguae primiora ſpecimina, tum etiam Chriſtianae noſtrae doctrinae Compendium.*

II. Huius linguae, quae Avae potiſſimum uſurpatur, ceteriſque praeſtat idiomatibus, extenſionem per reliqua ſive Regna, ſive Provincias Avae Regi ſubiectas, atque huius Regni, ceterarumque ditionum fines ita accurate deſcripſit

Carpanius noſter, ut ad ipſum amandare Lectores noſtros nunc praeſtet. Tum horum populorum omnium ſuperſtitionem, qua & Numen Godoma *colunt, & abſurdas de mundo, & anima opiniones fovent, late etiam ipſe proſequitur, ut haec dumtaxat nunc innuiſſe ſit ſatis. Tandem ea attingit de Bomanorum gente, quae exactiora, quam quae Mendezius Pintius, Morerius, Martinierreius, aliique, & ampliora, quam quae deſignavit Raynalius* (1), *haberi debeant. Barmanam igitur linguam proponimus, quam ita appellare placuit, ut ea ſtaret etiam nomenclatura, quae primum ab Europeorum errore, ſeu vitioſa pronunciatione profecta, locum dein obtinuit in geographicis libris, tabuliſque, quaque deſignari vulgo coepit ea gens, quae trans Gangem in Aſia ad gradum vigeſimum primum longitudinis eſt, quaeque Bomana potius appellanda eſſet.* Siquidem, *ut recte obſervat Bartholomaeus Ziegenbalgius, olim Danicae heterodoxae Miſſionis apud Indos Orientales Miniſter* (2),

---

(1) *Hiſtoire philoſophique, & politique des Etabliſſemens, & du Commerce des Européens dans les deux Indes. Tom. I. pag.* 342., *& ſuiv.*

(2) *Theſaur. Epiſtol. La-Crozian. Tom. I. pag.* 381. *Epiſt.* 319.

in mappis etiam geogrophicis, & libris hiſtoricis talia tantum inveniuntur regionum, urbium, & perſonarum nomina, quae Indus intelligere nequit, quia Europei omnes illas voces, & nomina, ex ignorantia linguae, falſo pronunciarunt, & exararunt. *Nulla ergo gens, nulla ditio, nulla urbs, nulla lingua, quae Barmana dici poſſit; cum potius Bomana* κατ᾽ ἐξοχὴν, *vel ex honoris cognomine harum omnium unaquaeque appellari conſueverit, quod ex huius linguae genio vel* magna gens, *vel* vir fortis, Bomas *nomine deſignetur;* ဗလ bo *enim* caput, *&* praeſes, မဒော mah *vero* vir *vocitatur. Quapropter Barmanae linguae litteras Carpanius noſter ita proponit, ut figuram primum, deinde nomen, tum nominis explicationem, ac demum poteſtatem adducat. Neque ea praeterit, quae pronunciationi recte inſtituendae opportuna eſſe poſſint. Exhibitis vero radicalibus litteris, quae* XXXIII. *numerantur, & in ſchemate etiam aere inciſo, quod ad Prologi calcem dabitur, exprimuntur, & quarum* VIII. *vocales, reliquae conſonantes ſunt, eas ſubdit, quae nonnullis nominibus adiiciuntur, vel etiam ad maiorem brevitatem uſurpantur; tum quae primi generis ſunt, quaeque ex adiunctis ſyllabae fiunt; hinc ſigna, quae iiſdem lit-*

Digitized by Google

teris addita eumdem habent ſonum; dein genus aliud ſyllabarum, quod locum habet tantum cum nonnullis litteris, quae aliud ſignum praeter ſuperiora adnexum habent, fiuntque ſyllabae compoſitae; ac tandem tertium, ceteraque ad decimum uſque ſyllabarum genera, quae variis inſtructa ſignis varios ſonos efficiunt. Cetera vero, quae tirones ſcire praeſtat, ut ad legendum ſe componant, & ut linguae genium deprehendant, proſequitur in Prologo. Opuſculum claudunt Chriſtianorum preces, Symbolum Apoſtolorum, & Praecepta Decalogi in hoc ipſum idioma converſa.

III. Tandem alterum Alphabetum proponit, quod lingua Palì, *ſive* Balì, *ſive* Balia *appellatur, quodque laudato ſuperius ſchemate aere inſculpto exhibetur, & illuſtratur in Prologo. Haec lingua, quae totidem* XXXIII. *conſtat elementis, vetuſtiſſima eſt in Avae Regno, & arcana, utpote quae a Talapoinis (quod Monachorum genus eſt) unice colatur; quemadmodum a ruſticis in ſilvis lingua altera* Carian *dicta pronunciatur, quae ſibilis ſcatet, & ex monoſyllabis coaleſcit, ut nihil cum ceteris commune habeat. Hoc autem idiomate* Palì *exaratus eſt liber* Kammua, *ſeu Codex ordinationum, caeremoniarum, praeceptorumque omnium ad religionem pertinentium, qui etiam in Regno Peguen-*

Digitized by Google

ſi, *Siamenſi*, *Laoſenſi*, *&* *Arakanenſi obtinet*. *Huius Proemium idcirco a Carpanio noſtro in eodem ſchemate adducitur*, *qui nimirum illud excipere potuerit ex elegantiſſimo eiuſdem* Kammua *exemplari*, *quod ſecum in Italiam adduxit*, *ac dein dono dedit ampliſſimo S. R. E. Card.*, *&* *S. C. de Prop. Fide*, *eiuſque Typographiae Praefecto Ioſepho M. Caſtellio*, *ex cuius dein munificentia ceſſit huic noſtrae Collegii Urbani Bibliothecae*. *Lingua Palì memoratur etiam a Kaempferio* (1), *qua Buttam Deum*, *de quo tam docte*, *tam copioſe*, *tamque eleganter diſſeruit Vir Cl. Auguſtinus Antonius Georgius* (2) *Eremitarum Auſtinenſium Procurator Generalis*, *&* *Litterariae Reipublicae decus eximium*, Sammona Khodum *a Siamenſibus*, *&* Sammana Khutama *a Peguanis appellatum teſtatur*. *Sacram hanc linguam innuit inſuper Maturinus Veyſierreius La-Crozius* (3), *quam quidem uſurpatam aſſerit in regnis Laos*, *Pegù*, *Cambodienſi*, *&* *Siamenſi*, *quamque cum ceteris Indicis litteris*, *quibus Brachmanes*, *Malabares*, *Ceilanenſes*, *Siamenſes*,

---

(1) *Hiſtor. Iapon. Tom. I. pag.* 208.
(2) *Alphabet. Tibetan. paſſim*.
(3) *Cit. Comment. Epiſtol. La-Crozian. Tom. III Epiſtol.* 42. *pag.* 85.

& Iavanes utuntur, ſatis inter ſe, etſi mutatis pro genio gentium apicibus, convenire contendit.

IV. *Unde Alphabetum Bomanum, & alì mutuati fuerint Avenſes, penes quos cum imperii ſede utrumque potiſſimum praeſtat, Carpanius noſter exquirere interim promittit, qui tamen a Perſica manare nunc putet. Ceterum La-Crozius ipſe (1), ut nos etiam alibi advertimus (2), in ea fuit ſententia, ut cenſeret Indicas, & Tartaricas linguas omnes a Perſica, hanc vero ab Aegyptiaca originem ducere; quod ſane inficiatus eſt Theophilus Sigefridus Bayerius (3); qui interim tamen ſuſpicatus eſt, veteres Perſicas, quas Thomas Hydeius illuſtrare aggreſſus eſt, quamdam convenientiam cum Armenicis habere. Aſt multam Alphabetum Palì, quoad nonnullas litteras, ſimilitudinem habere videtur cum Armenicae linguae elementis, quae quidem nonniſi poſt ſaeculi IV. dimidium obtinuerunt, cum antea Armeni finitimorum populorum litteris, ſcilicet Perſarum, Syrorum, & Graecorum uteren-*

---

(1) *Loc. cit. Epiſt. 9. pag. 22., & 23.*

(2) *In Praefatione ad Alphabetum Brammhanicum, ſeu Indoſtanicum Univerſitatis Kasì, §. IV. pag. XIII.*

(3) *Cit. Commerc. Epiſtol. La-Crozian. Tom. I. Epiſt. 13. pag. 16.*

Digitized by Google

tur (1) . *Harum nonnullas heic recenſemus , ex conſilio , & ductu Georgii Bagdadii Anteplii Armeni , Monachi Congregationis Mechitarenſis Sancti Lazari , & in Collegio Urbano de Propaganda Fide patriae linguae Profeſſoris ſcientiſſimi , quas proinde conferre cum Palicis apicibus , in aenea tabula inſculptis , facile poteris . Quare has accipe , & perpende ; hae enim ſunt :* ա aip , զ za , ը jet , ղ ghat , մ mien , ն nu , ո ue , պ be , ռ ra , ս ſe , տ diun , ց tzo. *Tum Malabaricum etiam Alphabetum , quod prela noſtra primum litterato orbi communicarunt , ſcatet plurimis litteris , quae ad Armenicarum formas accedunt . Si hinc argumentum peti liceret de Indicarum litterarum origine , cum Armenicae non vetuſtiſſimae ſint , ut ſuperius innuimus , parum etiam antiquitatis tribui Indicis poſſet ; at ſi ab Armenis , commercio ſuffragante , allatae fuiſſent litterae Perſicae , quibus ipſi antea utebantur , atque illae praeſertim , quas ex Zendica , & Pazendica ſcriptura eduxit Hydeius , forte remotior antiquitas iiſdem adſcribi , earumque origo Armenis quinetiam ac-*

(1) *De origine , & antiquitate Linguae Armenae videndus Moſes Coronenſis ſcriptor ſaeculi* IV. , *&* V. *Lib.* III. *Hiſtoriae Armenorum ; Londini typis Wiſthonianis ann.* 1736.

cepta referri poſſet. Verumtamen in perquirenda rerum origine nonniſi veriſimilitudo conſectari poteſt, nec niſi dubitanter coniecturis aliquid tribuere decet.

V. Poeſi praeſertim, quae ſimilibus ſyllabarum deſinentiis potius, quam ipſo numero ſyllabarum condatur, gaudent Bomani. Ea nimirum utuntur in tractandis praecipue rebus ad religionem pertinentibus. Ita etiam conſcriptus eſt Codex Regularum, quae a Talapoinis obſervantur, Padimot *ab ipſis appellatus, qui palmis, quibus nomen* Ole, *conſcriptus, & Bomana lingua expreſſus ſervatur nunc in laudata Collegii Urbani Bibliotheca. Ibidem etiam proſtant nunc Epiſtolae Divi Paulli, Evangelia dierum omnium Dominicalium, Epiſtola Dogmatica, & Dialogus inter Miſſionarium, & Talapoinum, quae & eodem idiomate concepta ſunt, & iiſdem palmis conſignata. Acceſſit tandem Evangelium Divi Matthaei Bomanice loquens, & exceptum alio papyri genere, quod* Babota *alba nuncupatur. Haec omnia a Carpanio noſtro reſignata Cl. Praeſuli Stephano Borgiae S.C. de Propag. Fide a Secretis, in ſupraſcriptam Bibliothecam ex conſueta eiuſdem Praeſulis largitate migrarunt. Sed de idiomate, eiuſque Codicibus ſatis.*

VI. Nos tamen laetamur interea, omnium primos & Litterariae Reipublicae exhibuiſse, & Catholicae Religionis incremento dedicaſſe

exoticum hoc Alphabetum, cuius nulla veſtigia in Tabula aenea XXVII. *Alphabetorum, quam a ſe reſtauratam, & auctam rurſus edidit anno* CIϽIϽCCLIX. *Carolus Mortonius Medicus, & Londinenſis Regiae Societatis a Secretis; nulla in celebri, & magna illa Alphabetorum collectione, quam adductis ducentis Orationis Dominicalis verſionibus, per totidem exotica elementa, & idiomata expreſſis, vulgavit Lipſiae anno* CIϽIϽCCXLVIII. *Ioh. Frid. Fritzius, & Beniaminus Scultzius; nulla in Syllabo altero Orationum Dominicalium a Cl. Chamberlaynio edito; ac nulla demum in magno Lexico Encyclopaedico, ubi plurium exoticarum linguarum Alphabeta adducta ſunt. Nunc id unum eſt reliquum, ut quae inſtrumenta parantur quotidie, quaeque inſtituuntur commoda ad Evangelicas veritates longe, lateque inter gentes, adhuc idolorum cultui foede mancipatas, diſſeminandas, quique iiſdem ſuffulti & inſtrumentis, & commodis ab hac noſtra Congregatione, tamquam ab inſtructiſſimo armamentario Praecones quocumque terrarum ablegantur, caeleſti virtute roborentur, ut & Beatiſſimi Catholici Orbis Rectoris, ac Magiſtri* PII VI. *votis, & ampliſſimorum Procerum Fidei Propagandae negotiis praepoſitorum ſtudiis, atque ſollicitudinibus uberrime reſpondeant. Tu, qui legis, haec boni conſulas, & vale.*

Digitized by Google

PROLOGUS AD ALPHABETUM BARMANUM SEU BOMANUM.

Regnorum Avae, & Pegù &c.

QUAE a Summis Pontificibus conſtituta eſt Sacra Congregatio de Propaganda Fide, ut per univerſum orbem Apoſtolicas Miſſiones promoveret, ac procuraret, eius nunc ſollicitudine, illud in publicam lucem prodit novae linguae Alphabetum propriis delineatum characteribus, quod non modo novitate ſua, verum maiori utilitate, & incremento Catholicae Religionis omnibus ſe probaturum confidimus. *Barmanorum*, ſeu verius *Bomanorum* haec eſt lingua, quae in *Avae* Regno Aſiae,

Digitized by Google

& in Orientali Peninſula trans Gangem fluvium locum obtinet, & ſedem. *Avae* Regnum Tibeto, & Tartaricae Sinae, ſive Tartariae Chinenſi finitimum eſt. Cingitur autem a Regnis *Pegù*, *Tangut*, *Laos*, *Caſsì*, vel *Aſſem*, & *Arrakan*. Vaſtiſſima regio eſt Galliarum Regno duplo amplior; ſed ſoli magnitudini hominum frequentia non reſpondet, immenſis enim tegitur ſilvis. Rex, qui hodie illi praeeſt Regno, *Miaſsa Pra* appellatur, & potentiſſimus eſt, nec tantum in Regno *Avae* proprie dicto dominatur, ſed & in Regnis *Tangù*, *Pegù*, & in planis, apertiſſque regionibus Regni *Aſſem*, *Prum*, *Pagan*, *Martaban*, & in Provinciis *Tavai*, *Tenaſserim*, Inſulaque *Negraliae*. In his locis omnibus *Barmana* lingua, ſi cunctis non eſt communis, aliis idiomatibus praeſtat, ac dominatur.

De origine gentis, quae haec loca

incolit, nil accurate definiri poteſt. Monumenta enim deſunt antiquitatis apud nationem adhuc rudem. Sed, ut in aliis terrae plagis multitudo populorum Borealium refluit, ſeſeque expandit in loca Meridionalia; ita duobus ab hinc ſaeculis immenſus Tartarorum exercitus ſub Rege *Chochiapon* (ſeptingenta hominum millia fuiſſe dicuntur) poſt ſuſceptam fruſtra contra Sinenſes expeditionem, ſeſe diffudit in Regna *Avae*, *Pegù*, *Martaban*, *Tenaſſerim*, *Siriam*, & *Arrakan*.

Novi iſti terrae hoſpites, & invaſores tunc primum appellati fuerunt *Barmani*, praeſertim a *Mendez Pinto*, quod inſcienter factum videtur. Neque enim proprium nomen eſt, vel veterum incolarum, vel eorum, qui cum illis commixti ſunt, eoſque domuerunt. *Bomani* appellari debebant; hoc enim nomen ſibi tri-

buunt, eoque gloriantur, cum virum fortem, ac magnum ſignificet.

Innumeras ſortis viciſſitudines experti ſunt hi populi, novique eorum Reges, donec anno MDCCXLIV. *Sabon Bomanus* Regni Peguani Praefectus rebellavit, ſuumque exauctoravit Regem. Contra hunc tyrannum alter ſucceſſit nomine *Seminctò* genere Peguanus, qui antea *Talapoinus* fuerat; ſed cum plura nefarie, & crudeliter ageret, *Alom Pra* viventis Regis pater, accurrente libenter populo, qui *Seminctoum* oderat, bellum illi inferre non dubitavit, & de eo in captivitatem abducto triumphavit. Haec ſpeciminis loco dicta ſint de ſtatu civili harum Provinciarum. Fuſiora fortaſſe alibi.

De moribus, & religione horum populorum dicenda potius aliqua ſunt, quamquam parciſſime. Perpetuo inter eos turpe viguit Idololatriae genus. Ob multas

enim Regni perturbationes, & praecepta fabuloſa Talapoinorum, qui certo quodam numero congregati noſtrorum Clauſtralium more vitam, & domicilium commune habent, magna ſane morum corruptio, & quamplurimae, & portentoſae fabulae inductae ſunt. Inter cetera affirmant mundum hunc ex aliis iam conditis eſſe quintum ordine, aliis quatuor iampridem abſumptis partim ab igne, partim ab aqua, & ad nihilum redactis, omnibuſque his quatuor ſuum cuique Deum praefuiſſe contendunt longe alium ab eo, qui noſtris temporibus viget, ac dominatur. Ex quarto autem mundo in aquis ſubmerſo ſuperſtitem fuiſſe credunt unam arborem *Gondom* ab ipſis vocatam, unamque aviculam, ex cuius ſtercore mixto cum foliis ab illa arbore decidentibus, & ſuper aquas natantibus mollis quaedam maſſa primum effecta eſt, qua paul-

Digitized by Google

latim obdurata, terrae praeſentis ſuperficies eſt orta, quae validis deinde motibus diſiecta, & concuſſa in ſeptem partes, & inſulas diviſa fuit, quibus totum orbem componi arbitrantur. Ea quoque opinione ducuntur mundum hunc abſumptum iri ab igne, cum hominum iniquitas completa erit. Superficiem mundi planam eſſe credunt, molem autem ipſius quadratam. Solem nocturno tempore latere putant abditum a tergo quorumdam inacceſſibilium montium, ex quibus illius Regni flumina decurrere opinantur.

Ut autem hominum explicent originem, aiunt bonos Genios, ſive Daemones, quos *Nat* ſolent appellare, involutos in ſubtiliſſima quadam materia, quam *Le*, aut ventum vocant, voluptatis cauſſa deſcendiſſe in ſemper viridem illam arborem *Gondom*, ex qua delapſi inter de-

Digitized by Google

ambulandum per mollem terrae ſuperficiem, adhaerente luto eorum pedibus graves facti ſunt, & ponderoſi, ut in altum ſeſe attollere, & per aera volitare amplius non poſſent. Hauſto terrae odore ita eorum exarſit concupiſcentia, ut cunctis ardor idem fuerit ſuam propagandi ſpeciem; cumque reperiſſent nonnullos diſſimilis formae, ac figurae, quaſi ludentes homines procrearunt, ſed ita corruptos, ut nihil aliud inter eos in deliciis eſſet niſi iniquitas, & peccatum; ſed elapſis tandem DCCCCXCIX. tranſmigrationibus *Godoma* praeſentis huius mundi, ut volunt, Deus, exemplo, praeceptis, ac Talapoinorum inſtitutione edoctos homines, ab iniquitate ad iuſtitiam, & ſocietatis conditionem deduxit. Belluas formatas dicunt ex putrefactione, grandiores vero ex aqua naſci affirmant.

Idea, quam de Divinitate habent gen-

Digitized by Google

tes iſtae, confuſa ita eſt, ut non ſolum credant ſimplicem hominem poſſe propriis meritis Deum fieri, verum, quod mirabilius videtur, Dei eſſentiam quamdam eſſe annihilationem contendunt. Nam cum beatitudinis ſpiritualis ideam non habeant, & ſolum afficiantur idea paſſionis, quam recipere materia poteſt, aſſerunt Divinitatem in eo ſitam eſſe, ut nequeat ab uno Ente in aliud converti: ſicque ut paſſioni non ſit obnoxia neceſſariam eſſe annihilationem. Admittunt igitur metempſychoſim, ſive tranſmigrationem, ſed ita, ut ſit bonorum operum praemium tranſmigratio in nobile aliquod animal, ut poena vitiorum tranſitus in viles belluas, vel vegetabilia. Infernum quoque decernunt gravioribus delictis, ſed ad ſtatutum tempus. Ab opinione vero Manetis, vel aliorum de duobus principiis ita longe abhorrent,

ut quamvis in Indicis regionibus haec opinio fere communis videatur, a Barmanis morte mulctentur illi, qui *Calocum*, ſeu ſacrificium offerunt *Pelù*, quamvis hoc olim Peguanis permitteretur.

Barmani imaginandi vi pollent, & perſpicacia; ſtratagemmata enim, aſtutia in bellis, tot, tantorumque populorum regimen, & cum Europeis negotia id aperte teſtantur, quorum una vox eſt, quoad ſagacitatem, ipſorum licet fraudes, & latrocinia non imitentur, Sinenſibus anteire. Quin immo Barmani (ſi negotium cum Europeis habentes demas) iure prae Indis glorientur de ſumma pacis tempore humanitate, hoſpitalitate, erga Deum. & maiores obſervantia, divinaeque indignationis metu. Ab otio, & voluptatibus, praecipuis Indorum vitiis, abhorrentes aſſiduus exercet labor, luctantes, in ſtadio currentes, difficiles agentes choreas, equos, elephan-

Digitized by Google

tes domantes, per flumina ſcaphas trahentes, ac ideo laudabiles, quia nulla neceſſitas; his enim Oryza, ac tenelli frondium vertices cum Poch, ſeu putrido piſce ſale, reſolutoque pipere longo mixti ſatis ſunt ad victum; & ex picto goſſypio pannus circa renes cinctus petaſum, ſubuculam, femoralia, caligas, linteum, ſtragulum praeſtat.

Viget apud Barmanos Polygamia, & primo conſanguinitatis gradu, quem & ipſi deteſtantur, excepto, ceteros non obſervant: hinc frater defuncti fratris relictam ducit uxorem. Nullis feminae clauduntur aedibus, ſed demptis ancillis, ſeparatim vivunt; filii matris ſortem ſequuntur. Severe puniuntur adulteria. Nulla tamen adoleſcentulae infamia, noto amaſio. Si maſcula proles, patris eſt, quoties poſt partum. & pro puerperio mulieri ſuppeditarit alimenta;

Digitized by Google

femina vero matris. Corruptae, viro non renuente, cui volunt, nubunt. Pro utraque parte ſub quibuſdam conditionibus ſtat divortium. Natos, praeſertim mares uſque ad idololatriam diligunt. Defunctorum corpora publico, ſolemnique ritu extra urbem concremant; at infantes in utero, vel in ortu cum matre decedentes una ſimul adhibitis facibus, & bellici tormenti ſtrepitu ad malos fugandos ſpiritus noctu ſepeliuntur. Haec porro ſuperſtitio, ceteraeque innumerae, quae in illis locis vigent, promoventur a Talapoinis, quibus non parum lucri accreſcit ex iis eleemoſynis, quas frequentes, largaſque exigunt, cum in domos a malis *Nat* vexatas ſe conferunt. Hi quidem Talapoini, quod ad Idololatriam, ſuperſtitionemque ſpectat, callide componunt, ac moderantur. Eorum numerus eſt quidem non exiguus: Monachorum

Digitized by Google

more vivunt in varias ſedes diviſi, quae in Barmanica lingua *Bao* appellantur. Caelibem profitentur vitam, eaſque ſervant leges, quae in binis libris eorum continentur, quorum alter *Kammuà*, alter vero *Padimot* appellatur. In primo horum librorum eae caeremoniae deſcribuntur, quibus utuntur, cum aliquis in eorum coetum admittitur, in quem ingreſſi tirocinium quoddam exercent uſque dum principem *Bao* locum obtineant. Varias pro variis gradibus veſtes induunt. In ipſo autem ingreſſu veſtem ſumunt flavi coloris, de hoc enim colore gaudent Talapoini. Tunicae huic flavae ſtolam ſuperimponunt, quae ab humero ad dexterum latus decurrit, totamque veſtem zona cingunt. Cum vero ad ſecundum gradum, qui *Pinzen* dicitur, adſcendunt, aliam veſtem inſtar magni pallii ſumunt, quam retinent cum ad primatum *Bao*

Digitized by Google

perveniunt. Etſi caelibatum, ut diximus, Talapoini ſervent; hanc tamen vitae rationem deſerere impune poſſunt, uxoremque ducere, dummodo per integrum annum capite tonſo, alba veſte induti, (quae poenitentiae ſtatum, & argumentum indicat) apud aliquem *Bao* commorentur; quibus omnibus cum ſatisfecerint, mulieres quotquot volunt, ducere poſſunt. Dignum praeterea conſideratione eſt, Talapoinos non ſolum obedientiam praeſtare ſolitos Principibus illis, qui *Bao* praeſunt, verum etiam aliis in variis provinciis manentibus, qui omnes ſubiecti ſunt cuidam communi Rectori, ad quem in multis occaſionibus appellationis cauſſa confugiunt.

Neque homines tantum Talapoinorum inſtitutiones, ſed multae etiam mulieres eaſdem profitentur. Ex his nonnullae ſimul cohabitant, plerumque fere apud

aliquem *Bao*, aliae vero in privatis eorum domibus. Hae veſtibus albi coloris gaudent, capite autem raſo, & quamdiu in hac vitae conditione manent, tamdiu caelibatum ſervant.

Sed veniamus tandem ad illum, quod exhibendum propoſuimus, Alphabetum linguae *Barmane*, ſeu *Bomanae*. Illud obſervatione primum dignum eſſe exiſtimo, quod in his regionibus cum chartae conficiendae artificium ignoretur, in quo Sinenſes, aliique populi excellunt, litteras efformare ſolent ferrei ſtili ope in palmarum foliis, quae *Ole* dicuntur (*a*). Bar-

(*a*) Folia, quae Barmani adhibent, in Regno Avae ſunt ſingularia, quippe quia nonnulla reperiuntur, quae latitudine pollices octo magis, & longitudine tres cubitus ſuperent, cum alibi nec plus lata, quam larga quatuor tantum pollices aequent. Arbor, unde emittuntur, non eſt a communi palma diſſimilis. Haec tamen centum adhuc annos perdurat, ſed producto fructu, nec die ſuperſtes vivit. Huiuſ

mani vero praeter has *Ole* quamdam peculiarem habent chartam, quam dicunt *Babote* (*a*), ſupra quam nigro colore imbu-

---

modi fructus, quoad externam apparentiam, a noſtris ſilveſtribus malis non diſtinguuntur. Eruditiſſimus, neque umquam labore vincendus, Illuſtriſſimus Praeſul Stephanus Borgia in Congregatione de Propaganda Fide a Secretis praeter ferreum ſtilum, qui ad ſcribendum apud Barmanos in uſu eſt, dono etiam dedit eiuſdem Sacrae Congregationis Bibliothecae cum Evangelia, quae per annum in Miſſa leguntur, tum B Paulli Apoſtoli Epiſtolas, & Dialogum Talapoinum inter, & Miſſionarium, denique *Padimot*, hoc eſt eorumdem Talapoinorum Regulas, omnia in hiſce *Olis*, characteribus, Barmanaque lingua impreſſa.

(*a*) Ad hoſce efformandos libros quoddam glutem componunt ex cannae viſceribus, quam vocant *Banbù*, ſed pro validiori cohaerentia goſſypii partes, & gummam addentes. Ad tres, ſive etiam quatuor cubitus ea folia deducunt, ut, quoad craſſitiem, ab noſtra craſſiori charta non diſſimilia eſſe videantur, quae in plures partes complicant ad maiorem ſcribendi commoditatem. Carbo, quo inficiuntur, retinetur a gumma, dum gluten formatur, impoſita, ſaxumque, quo perliniuntur, iis imperti-

Digitized by Google

tam litteras inducunt, quos albo ſaponario lapide delineant. In publicis tabulis has adhibent *Babote*, itemque in actis iudicialibus, ceteriſque huius generis rebus. Scribunt autem more noſtro a laeva in dexteram, in quo communicant cum finitimis nationibus Siamenſium, & Tibetanorum. Interpunctionis ſignis ad diſtinguendam orationem non utuntur, ſed continua litterarum ſerie ſine illis, quae maiuſculae appellantur; finem vero ſen-

---

tur nitorem. Saponaceum lapillum ad ſcribendum adhibent. Si ſcriptum non amplius inſervit foliis *Bethel*, (quod quaedam aromatica arbor eſt) aut aliis herbis admotis folium renovant, ut iterum inſerviat. In Bibliotheca de Propag. Fide una ex his *Babotis* aſſervatur Barmanum continens Alphabetum a clariſſimo Regis Avae Scriba *Babaſcian* Armeno delineatum, quae plurimum iuvit in noſtra impreſſione, ſicuti etiam aſſervatur S. Matthaei Evangelium in linguam Barmanam, characteribus Barmanis tranſlatum, noſtroque atramento ſuper *Babotam*, nullo adhuc infectam colore, conſcriptum.

Digitized by Google

tentiae notant duabus lineolis deorſum ductis ıı, vel duobus punctis, ſive clauſis, ſive apertis. Conſtrutio autem, vel circuitus eorum periodorum eſt Orientalium difficillior; deſunt enim illis particulae, quae conſtituunt periodorum nexum, & verba traiiciunt, & invertunt ita, ut confuſio, non periodus videatur. Unum aut alterum exemplum afferam, ut hoc quiſque per ſe videat. In introductione ad librum Kammuva, ſive ad Tractatum de ordinatione, haec ſunt prima eius verba: *Hominibus Nat Bruma viventibus omnibus obſequium oblatum omni ratione excellentiori ut recipere meretur, qui omnia ſcit, videt illo Domino Deo ſit*. Quae aptiori ordine ſic collocanda forent: *Illo Domino Deo, qui omnia ſcit, & videt, ut meretur recipere oblatum ſit ab hominibus a Nat, a Bruma, & a viventibus omnibus obſequium*

